Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 25. Februarii.

M. JOANNE BOUDIN, Doctore Medico, Præſide.

An Chymiæ cognitio Medico neceſſaria?

MEDICORUM titulo jure gloriari datum paucis, adeo latè patet Medicinæ campus; corporis humani Naturam miramque ejus compagem non modo complectitur, ſed morbos, morborum cauſas; atque etiam remedia quibus poſſunt profligari. Quæ dum perſequitur & inveſtigat Medicus, omnium penè rerum naturas contemplatur & evoluit. Partium in humani corporis ſtructurâ & compoſitione, innumera propemodum varietas: aliæ nutritioni, quædam excretioni, hæ motui. Illæ generationi inſerviunt: omnes licet non omnino neceſſariæ, peculiarem habent particularum, quibus conſtant, conformationem: minutiſſimas etiam Medicina reſpicit, ſingulas licet ferè infinitas, multò plures invadunt, & diſcruciant morbi, longe etiam plurimis remediis repellendi & ſuperandi. Vix quid mundus ambitu ſuo coercet, quod ad integram corporis valetudinem conſervandam, adverſamque corrigendam non conferat. Animalia, Plantas & Mineralia ſcrutetur & explicet, qui ex arte ſeverâ, bene & feliciter curandis morbis invigilat; horum ignarus, aut negligens non meretur appellationem Medici, cui illud abſolutè neceſſarium meritò dixeris, quod ad corporum naturalium, hominis præſertim cognitionem, ipſiuſque conſervationem aliquo modo conducit.

QUI ſine prævià corporis humani cognitione morborum curationem aggreditur, Nauclerus eſt ſine pixide nauticâ & neſcius marium quæ præter navigat, hic in medios ſcopulos impingere & procelloſis fluctibus mergi nunquam non periclitatur, ille infinitis prope modum errationibus proprio nomini non minùs quàm ægrotantium ſaluti periculoſis quotidiè vivit obnoxius. Partium omnium originem, ſitum, atque inter ſe communionem niſi noverit, functiones, atque adeò morborum cauſas ignoret neceſſe eſt. Cave ne putes in iis cognoſcendis, & profligandis, inutilem eſſe accuratiorem humorum ac remediorum notitiam, immo eorum analyſim abſolutè neceſſariam exiſtimes. Plura oculis conſentanea ſunt, quæ permixta tacitis ſeſe perimunt viribus. Debiliora fortioribus, pigriora diligentioribus, ſtimulari volunt, & craſſiora ſubtilioribus, ut omnes corporis noſtri receſſus ac labyrinthos facilius permeent. Qui igitur verè ſe Medicum & divini Senis ſectatorem profitebitur, omnes corporis humani partes diligenti ſtudio attendat, ut dum quæ ſunt ſecundum naturam ſedulò perſcrutatus fuerit, is ſciat quantus ſit receſſus à naturâ & quâ arte, quibus auxiliis, corrigendus veniat.

HUMANI corporis partes vulgo dividuntur in ſimiles, & diſſimiles, ſpermaticas & ſanguineas; Hippocrati in continentes, contentas, & impetum facientes, nonnullis demum in ſolidas & liquidas; ſolidis totius ædificii ſtructura debetur, liquidis nutritio, motus, atque omnes adeò functiones, humores nuncupantur; omnes in ſanguine permixtos ipſa docet experientia. Ab illo dum ab arteriis in venas, & à venis in arterias circumfluit, peculiari partium, figurâ, conformatione ſecernuntur: fluuntque in propria vaſa, in iis dum conſervantur varii ſunt, variæque indolis. Alii acidi, alii acres, alii amari, & cujuſcumque tandem ſaporis. An non omnes ad duos primos tanquam ad principia referri, ſe cum illi invicem fermenteſcere ac fermentationum omnium eſſe cauſæ viderentur? Partium corporis ſolidarum notitia plerumque ſolis oculis, humorum cognitio minutiſſimâ quibus conſtant particularum analyſi, indiget, primum Anatomia, utrumque chymia confert. Illa morborum ſedes, hæc cauſas præſertim explorat, has enim omnes oriri quid vetat ab humorum fermentatione, cujus naturam exquirit? Denique remediorum qualitates & quidquid virium habent in lucem profert.

IN humano corpore quidquid peragitur, ex motus & fermentationum legibus ita pendet, ut chymiam natura, ſeu potius chymia atque omnes mecanicæ Artes naturam imitari videantur. Alimenta, ſucco ſalivari in ore diluta primum in ventriculo fermentationis ope, chyli rudimentum accipiunt, ſecundum in gracilibus inteſtinis, ubi ſucci Pancreatici biliſque admixtione in motum concitata, iterum fermentantur. Hinc graviores alimentorum partes unà cum fæcibus per anum excernuntur, ſubtiliores per lacteas Meſentericas chyli receptaculum petunt. Inde ipſe una cum lymphâ venam ſubclaviam ingreditur, atque per cavam ad cor dum pervenit, mediis arteriis ad partes fertur, tunc ſanguis, in eas figitur, unde nutritio; Eaſdem auget, unde accretio; ambæ ſicut & generatio fermentationis effectus. Quid enim ſit lactea illa ſpuma quâ naſcimur, niſi fermentationis effectus? Illa quippe dum in utero blandâ fermentatione in motum concitatur, totum abſoluit generationis negotium. Ipſe menſtruorum fluxus debetur fermentationi. Tu videris an ſoli ſpiritus id præſtent officii, qui fortaſſe id habent à ſalibus, quòd maximum poſſideant in corpore dominium. Fermentationis & ſalium ſcientiam ſola fere aperit chymia, quam dum conſequi ſatagit hac ipſâ ratione morborum cauſas, hiſque convenientia remedia, Medicus paſſim inveſtigare ſolet.

CHYMIAM ergo contemnere, aut negligere caveat, quiſquis bene medendi famam ſibi conficere voluerit. Auſim & enim aſſeverare neminem Medicum abſolutum eſſe poſſe, immo ne mediocrem quidem, qui in hac nobiliſſimâ diſtillandi ſcientiâ non ſit exercitatus. Quemadmodum Medicina duobus cruribus firmata incedit ratione ſcilicet & experientiâ, ſic duobus oculis illuſtrara cernit, anatome nimirum & chymiâ; hinc in rebus Medicis cæcutiant illi prorſus neceſſe eſt, quibus hæ faces non prælucent. Quod in dirigendâ nave, nauticæ pixidi & gubernaculo, in hiſtoriâ, Geographiæ, in aperiendâ ſerâ, clavibus, id in Medicinâ chymiæ præſertim debetur. Hujus operâ humorum naturam, morborum cauſas remediorum vires cognoſcimus. His ſanè impulſus rationum momentis Rex ſapientiſſimus, dum omnium utilitati, propriique nominis ſplendori conſulens; artes omnes ad ſummum perfectionis gradum promovet, locum in Horto Regio chymicis operationibus deſtinavit, unde juniores hujus artis præſtantiſſimæ præcepta acciperent, & uberem adverſus omnes omnino noxios affectus, auxiliorum meſſem ſibi pararent.

Ergo chymiæ cognitio Medico neceſſaria.



DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Germanus Preaux, Scholarum Profeſſor.
M. Petrus Daquin, Medicus Regis perpetuo ordinarius.
M. Ioannes Cordelle.
M. Petrus Ozon.
M. Petrus Yon.
M. Antonius de Saint Yon, Medicus Regis ordinarius.
M. Claudius Perraut.
M. Tuſſanus Fontaine.
M. Franciſcus Pajot.

Proponebat Pariſiis JOANNES DAVAL, Augæus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1683.